

c. Lundorp. l. c. p. 522. g) v. *Casim.* Ausschreiben p. 95. und in *Beylagen* n. XI. XII. XIII. XIV. XV. h) v. *Sententia Papae ap. Iffelt L. II. p. 227. et cum refutatione Waramundi in peculiari Tr.* Lundorp. l. c. p. 1078. Thuanus l. c. p. 492. i) v. Lundorp. l. c. et *litterae Palatini ad Caes.* in *Beylagen* zum Ausschreiben *Casim. n. VI. p. 38. Iffelt L. II. p. 254.*

§. XVI.

Hoc facto autem Septemviri ac Principes Protestantes in Imperio maxime commoti, apud Caesarem de inaudita hactenus Pontificis audacia k) conqueruntur, quod scilicet membrum Imperii primarium, in scis et Imperatore et Septemviris, abscissum declarauerit, cum nulla ante rei cognitio coram Iudice competente, Imperatore scilicet et Imperio, praecesserit: orantque ut auctoritatem suam interponat Imperator, eumque restituat, ac noui Archi-Episcopi electionem prohibeat. Quod si vero preces illae locum non inuenerint, procul dubio funestissimum in Germania bellum excitatum iri dicunt, quia Gebhardo, in tali causa auxilia petenti, sine flagitio ipsi deesse non possint. Ad haec uero Caesar respondit: se antea iam officio suo abunde fatisfecisse, Gebhardum uero per male facta sua, et in illis pertinaciam, haec sibi ipsi attraxisse mala; nihilominus se admodum cupere, ut amice res componatur: verum obstare, quod Gebhardus a Pontifice dignitate Ecclesiastica fuerit exutus, et ita omnia eius acta irrita futura esse. Excusat quoque Pontificis sententiam in Gebhardum latam, quasi ea non septemuiralem sed Ecclesiasticam saltem dignitatem spectaret, cuius